



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia

Haineuve, Julien

Antverpiae, 1652

Primo Die. De fundamento Exercitiorum & Fine Hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60125)

ne, quæ tibi fit Methodi loco in cæteris; partire Considerationes tuas hac ratione.

Primò, Cogita res omnes à DEO creatas esse ad aliquem Finem; & Finem cuiusque rei suam esse perfectionem, vltimumque complementum: nam donec finem suum fuerit affecuta, perfecta non est, vbi verò illum obtinuerit, iam perfectionis est compos. Secundò, adverte, præmittendam semper esse huiusce finis considerationem, cum ille prima sit causa cæterarum omnium considerationum, quæ circa quamcunque rem creatam institui possunt; ideoque cum Homo æquè, ac cæteræ Creaturæ, habeat finem suum, necesse est, vt ante omnia illum cognoscat, ut inde ordinet, componatque vitam & mores suos.

His benè perceptis, expende jam Principium, Fundamentumque Exercitiorum: *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Dominum suum laudet ac revereatur, eiq; seruiens in hac vita tandem saluus fiat, eoque fruatur in altera.* Vide quam Finis ille sit nobilis, eximius, amabilis, consentaneus rationi, adeoque amplectendus: Elice actus quosdam Fidei, Spei, Caritatis, Resignationis, & Submissionis tuæ voluntatis, ad hanc notitiam accommodatos. Fac per hæc verba, *seruire DEO*, altè animo imprimas duo sublimia illa Principia, quæ, vt verissima, maximique momenti, præcipuum, iure, locum in tuis omnibus Exercitiis debent occupare.

Ho;

Horum primum est: ex creatis rebus quasdam pendere à te, quasdam verò non; alterum est, ut sis indifferens ad eas recipiendas quæ non pendent à te prout DEVS disponet, & ut reipsa, secundum ejus dispositiones, lubens volensque illas acceptes; quod verò spectat ad eas, quæ sunt in potestate tua, cujus generis censentur omnes actiones tuæ liberæ, ut de iis non aliter disponas, quàm secundum Rationem, & juxta Finem, ad quem à DEO creatus es, & nullo modo propter voluptatē, propter honorem, propter emolumentum, aut finem aliquem alium naturalem, qui ad supernaturalem non referatur. An non id æquum est? quid justius, quid conuenientius, & magis necessarium, quàm suum Finem sectari? si ergo Finis tuus non sit alius, quàm vt DEO seruias, eaque seruitus, aliter quàm hisce medijs non perficiatur, an non æquè atque Finis amplectenda sunt?

Ne hinc fistes, sed progredere vlteriùs, & agnosce tam manifestè & à fide, & à ratione, & à sensu communi, omnibusque alijs argumentis demonstrari hanc Veritatem, vt, quæ admodum satis agnoscitur, Hominem esse creatum à DEO, ita dubitari non possit, quin idem non sit creatus nisi propter illum, quandoquidem DEVS agere nequeat, nisi propter finem, neque habere queat alium, quàm seipsum: vna enim ex perfectionibus diuinitatis essentialibus est, ut rerum omnium tam

fit finis vltimus, quàm est primum (a) Principium & origo, (b) *Propter me, propter me*, inquit per Prophetam, *feci... & manus mea fundavit terram, &c. Gloriam meam alteri non dabo; ego ipse, ego primus & nouissimus.* (c) & quisquis vellet hanc in DEO Veritatē impugnare, (d) vellet eâdem peruicaciâ in dubium vocare eius diuinitatem. Tam igitur verum est, non esse alium Finem hominis; quàm DEVM, eiusque gloriam & obsequium, quàm verum est, DEVM esse DEVM, adeoque nihil est indubitatius, nihil certius, nihil æquè necessarium.

Insite peculiariter huic verbo: *Necessarium*, quod tribus modis intelligendum est. 1. esse omninò necessarium & infallibile, quod DEVS fit finis noster vltimus, quemadmodum necessariò DEVS est DEVS. 2. Necessarium esse, vt credamus altèque animo imbibamus hanc Veritatem cum inde pendeat totus successus perfectionis nostræ. 3. Esse necessarium, vt tota vita omnesque actiones nostræ in hunc Finem dirigantur, propter quem vita nobis vsulque creaturarum omnium, quæ idcirco nobis seruiunt, vt nos seruiamus.

Crea-

a *Et nunc hæc dicit Dominus, creans te Iacob, & formans te Israel; Meus es tu Isa. 43.*

Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum & feci eum. Ibid.

b *Is. 48.* c *Ego sum & & ω, Principium & Finis. Apoc. 1.* d *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus Prou. 16.*

Creatori, concessa sunt.

Hæc necessitas non viuendi, nisi propter DEVM, tam vera est, & hæc Veritas quæ necessitatem illam nobis manifestat, tanti est ponderis & momenti, vt asseuerare merito possimus, id vnicum esse, quod nobis in hac vita degentibus sit necessarium, vt DEVM cognoscamus, illique feruiamus. nam vt cætera desint omnia, hoc vnico excepto, nihil, quod omninò sit necessarium, tibi deest, quandoquidem, ne hoc quidem, vt viuas, sit necessarium. Nonne verum est, nullam esse necessitatem vt viuas, nisi quantum te DEVS viuere voluerit; & vbi visum illi fuerit, te inde euocare, tam parum te mundo fore necessarium, atque eras, cum nondum existeres? Quòd si vita tua necessaria non est, cæteræ sanè res, quæ non sunt, nisi ad sustentationem vitæ tuæ, (a) sunt minùs necessariae. Verùm, supposito, quòd viuas, absolutè necessarium est necessitate debiti & obligationis nunquam soluendæ, vt viuas propter DEVM, fieri enim nequit vt viuas, & non ad aliquem finem viuas, ac finis alius esse non potest, quàm DEVS. Itaque merito affirmatur hoc vnicum esse tibi necessarium.

Hæc necessitas, non est necessitas coactionis,

A 3

ctiois,

a *Nemo nosticum sibi viuit, & nemo sibi moritur, siue enim viuimus, Dom. no viui nus; siue morimur, Domino mor mur, siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. Rom. 14.*

ctionis, quæ aduersatur libertati nostræ, possumus enim nos ipsos ab hoc fine auocare, statuendo finem vitæ actionumque nostrarum aut voluptates aut opes, aut honores, quemadmodum, heu ! nimis quàm frequenter vsu venit; sed auocare nos non debemus: Necessitas est debiti officij, vt loquitur S. Paulus (a) necessitas moralis, quæ nos obligat ad libertatem arbitrij nostri sic seruitio diuino impendendam, vt carere libertate videamur: nam, etsi integrum nobis sit, quemadmodum diximus, si velimus, finem aliquem alium spectare, non debemus tamen illud velle, sed potiùs libero lubentique animo velle illum finem, propter quem conditi sumus: & ad hoc officium tam sumus obligati, vt hæc obligatio dicatur necessitas: eò quòd, tam parùm ab ea desciscere debeamus, atque si compelleremur eadem, quàm cæteræ Creaturæ, necessitate; in creatura enim compote rationis, cognitio officij tam æqui, iureque debiti, non minùs vrgeri debet, quàm ipsa necessitas.

Sed vt adhuc clariùs moralis hæc necessitas ob oculos tibi proponatur, considera, quod, cum homo duplex habeat genus existentiae, alterum Phylicum, ratione corporis & animæ, quibus viuit; morale alterum, ratio-

a Si euangelix auero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non euangelix auero. I. Cor. 9.

ne finis supernaturalis ad quem viuendum est; fit indubitata veritas, sicut necessarium est necessitate physicâ seu naturali, vt homo ad viuendum existentia suâ naturali, corpus habeat & animam, sic esse necessarium ad viuendum existentia suâ morali, vt habeat finem: ita vt, quemadmodum sine corpore & anima, homo non esset, homo naturaliter, ita sine Fine moraliter non foret homo, idem enim ad esse morale hominis præstat Finis, quod ad esse naturale confert anima. Vnde colligere potes, an non sit necessarium contendere ad hunc finem, cum id æquè requiratur, atque ad viuendum, corpore ac anima est opus. Vrgere argumentum vterius, & expende vtrum hæc Moralis necessitas non præster Physicæ: cum enim Esse morale sit nobilius sublimiusque naturali, consequens est, vt necessitas eius conseruandi, sit quoque maior: vti de facto, si de perdendâ corporis vitâ, per animæ separationem, vel animæ, per separationem gratiæ diuinæ, quæ finis illius & vita moralis est, ageretur, satius longè foret illius, quàm huius facere iacturam; cur autem id, nisi quòd hæc vita moralis sit alterâ præstantior, adeoque grauior necessitas incumberet illam conseruandi? quod adhuc patebit clarùs, si vitæ huic morali adiungas vitam æternam, quæ ab illa, velut medio, ad illam obtinendam necessario, penderet; adeò vt, quantum DEVS & æternitas excedunt cor-

pus & vitam hanc mortalem, tantum fate-
ri oportet, excedere necessitatem moralis
vitæ conseruandæ, suiq̄ue finis prosequen-
di.

Hinc illa vox Sapientis: *DEVM time, & man-
data eius observa, hoc est enim omnis Homo, (a)*
quasi diceret, ad veram hominis capiendam
notitiam, potius considerari atque inspici de-
bere, morale & spirituale esse illius, quàm phy-
sicum & naturale; vt enim aliquid sit, corpo-
re constans & animâ, id tamen nihil esse, si
cum Fine illius, qui est, *DEVM* timere, & obse-
qui eius mandatis, conseratur. atque adeò
hoc vnum est necessarium; ea est tota hominis
conditio, vt sic viuatur; id demum est, cui peni-
tùs impendere se debet, vt *DEO* fini suo, &
propter *DEVM*, viuatur.

Num percipis hasce Veritates? id testifica-
re per actus peculiare tum Fidei, tum assen-
sus & subiectionis animi, tum laudum &
gratiarum actionum *DEO* exhibitarum,
quòd nos ad finem tam sublimem condide-
rit, quodq̄ue nos eò tam necessariò ac ex
æquo adstrinxerit, vt necesse sit aut nos care-
re Esse nostro nobilissimo, aut prosequi
hunc finem, a quo nobis hoc Esse concedi-
tur. O quàm inde gaudeo! quàm lubens am-
plector hanc necessitatem! nunquam illa
meæ libertati nocebit, cum illam volens ac-
ceptem: sed neq; mea libertas aliquid decer-
pere

pere debet de hac necessitate, cùm illam vel-
le debeam.

II. P V N C T V M.

*Aduersio in vitam præteritam &
statum præsentem.*

M Agnum profectò lætandi, Deumque
laudibus extollendi argumentum est
cogitantibus, sed ad tam sublimem exi-
miumque finem (a) creatos; sed non minor
est dolendi, sui que accusandi materia, si quis
aduertat, se non eo, quo par erat studio, ad
finem illum contendisse. Hic demum opus
est, vt affectus detineant voluntatem, quem-
admodum in priore puncto Intellectum ra-
tiocinatio occupauit. Primò, obstupesce seu
ignorantiam seu malitiam mortalium, qui
tam parum imbuti sunt hac primâ Veritate,
vel tam parum affecti, vt ex eius præscripto
componant (b) vitam suam, vt loco prosecu-
tionis Finis sui, nihil aliud, quàm voluptates,
quàm commoda, quàm honores consecen-
tur. Nonne ita est? sed an non hæc grauis
obstupescendaque inordinatio? Quis foret
animi

A 5

(a) Homo cùm in honore esset non intellexit, com-
paratus est iumentis &c. Psal. 48.

(b) Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi
Equus impetu vadens ad prælium, Jer. 8.

animi tui sensus, si tot spectares cadauera, quot vides homines viuos? at quid sentendum tibi est, dum spectas in terris, totidem veluti mortuos (neminem peculiariter iudicando) quotquot sunt, qui Fini suo non viuunt? (a) carent enim ij Esse illo quod ex mente sapientis, hominem constituit, adeoque mortui sunt, magisque cadauera, quam si animâ forent destituti, cum vitam ac Esse nobilius amiserint, quam sit illud naturale quod ab anima producitur. Nonne censes personam aliquam infamiâ probrisque notatam, velut mortuis admunerari, cum priuata sit vitâ ciuili, quæ in honore, bonique nominis existimatione consistit, eamque ineptam esse, quæ prodeat in publicum, aut actum agat, cuius aliqua ratio in Tribunalibus habeatur? cur ergo non etiam censes, eos extra numerum esse viuentium, qui carent Esse suo morali, quod hominis est proprium? an ideò fortasse, quòd ipse ex eodem sis numero, neque velis propterea penitiùs in hanc notitiam ingredi, ne te pudeat, te tam parùm spectasse hunc finem, à quo oculos auertisse nunquam (b) oportuisset? Enimverò ob hoc ipsum vrgenda eius cognitio est vt te pudeat; te, inquam, qui hanc veritatem non ignorabas, aut discere saltem, post tot lectiones, & lumina

(a) *Quæ in delicijs est, viuens mortua est. 1. Tim. 5.*

(b) *Vt re-orderis, & confundaris, & non sit tibi
ultra aperire, os, præ confusione tua. Eze, 16.*

ad hoc tibi concessa, debuisses.

Fatere igitur nunc Veritatem, nunquã-
ne, in actionibus tuis omnibus, quã in
hunc Finem spectasti? credidisti ne, tanquam
articulo fidei, istud vnicum esse necessarium?
Eodẽmne pacto te hęc gessisti, quo in reliquis
Fidei nostræ mysterijs? an ausus fuisses ali-
quid cogitare aut loqui aduersus vnitatem
DEI, aduersus Christi diuinitatem, aduersus
realem existentiam augustissimi sacramenti,
quemadmodum cogitasti, locutus es, ac egisti
aduersus articulum de Fine tuo, & hoc vnico
necessario? Quoties & mœrore & querelis,
dum aduersi aliquid in bonis, in honore, alijs-
que consilijs tuis naturalibus ac studijs acci-
dit, testatus es, magis te commoueri exigua
hac calamitate, quã curã Finis tui, aut stu-
dio placendi DEO? planè quasi iudicares, tuã
magis interesse, magisque necessarium, vt ad
illa, quã ad Finem tuum nitereris? O rem
deplorandam! quantæ gratiarum & merito-
rũ hinc iacturæ, quod huic primæ præcipuæ-
que Veritati non credideris! quanta scelera,
quãtæ miserix, quod diuersis omninò studijs
abripi te permiseris! quid exspectes ab ædifi-
cio, cuius fundamẽta non benè iacta sũt? & tu
cum super hoc totius vitæ spiritualis funda-
mẽto nõ ædificueris, quò deuenit labor tuus?

Ne hęc existimes, grauissimum tuum ma-
lum esse, quod in quavis actione non memi-
neris finis tui; non, profectò non istud solũ
est,

A 6

est, sed in intimo corde cōsistit, in amore proprio, qui cor ita possidet, vt nullā, quā de honoribus, de voluptatibus, de amicitijs, similibusque affectibus cogitationem admittat, Finis sui studio procul habito. Quid proderunt olim hæc cordis & amoris proprii studia & prosecutiones? *quem nunc fructum habemus in illis, nisi vt erubescamus?* (a) Atque vtinam erubescendi saltem materiam inde colligeremus, iactura non foret tanta, sed hæc ipsa iactura tam parū nos afficit, vt non sit opus alio, meriti à nobis supplicij, argumento, quā quod sine sensu affectuque meminimus nos à Fine nostro aberrasse. Anima mea, si flere & commoueri non potes visā tuā perfidiā, tuam saltem deplora insensibilitatem, tunc enim malum magis deplorandum est, quando insensibile est.

(a) Rom. 6.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

VT vt sit de præteritis, deque motu & dolore sensibili; totum per diuinam gratiam fitum est in voluntate, & proposito quæ præsentia futuraque, ad nostri agnitionem, emendationemque disponantur. Verène agnoscis, & credis, minùs necessarium esse, vt viuas, quā vt viuas ex legibus finis tui?

tui? cæcum & perfidum te esse oporteret. Nisi (a) agnosceres hanc veritatem, nam, vt vidisti, quæ necessitas est, vt viuas? nisi viueres in terris, aliquòdne detrimentum terra pateretur? at si viuis, & non viuis iuxta finem tuum, inutilis es, DEO, animæ tuæ, omnibusque creaturis tibi seruientibus, perniciosus. Defraudas DEVM illâ gloriâ, quam à viuente te expectat; priuas animam tuam merito, quod obsequijs DEO impensis, posset accumulare; auertis creaturas omnes à Fine suo, qui non est alius quam vt, dum tibi seruiunt, exemplo te suo stimulent ad seruitium DEI, & tuam salutem operandam; facis, vt ingemiscant, (b) teste Paulo, sub onere Tui; grauis illis es, cuperent eximi à te, qui prodigis omne illarum seruitium, & operam, vanaque reddis, cum non spectent aliò, nisi vt te ad finem tuum promoueant. Præstaret igitur, te in mundo non esse, quàm aliter esse, ac viuere, quàm par est, adeoque magis necessarium est, vt in eo viuas iuxta finem ad quem creatus es, quàm vt viuas sine isto fine. Hinc Sapiens, (c) *Landau*, inquit, *magis mortuos, quàm viuentes,*

(a) *Vide homo, dicit mundus, quo modo amauit te, qui propter te fecit me: seruo tibi, quia factus sum propter se: vt seruias illi, qui fecit & me & te: me propter te, & te propter se: si sentis beneficium, redde debitum; si accipis benignitatem, redde charitatem.* Hugo Victor.

(b) *Rom. 8.* (c) *Eccl. 4.*

& feliciorē utroque iudicavi, qui necdum natus est, quod plerique sua ætate ab ultimo suo fine aberrarent. Vide nunc, utrum velles nunquam fuisse, aut amplius non esse: foret sanè optabilius, quàm sic esse, quemadmodum es, nisi animum vitamque sic componas, ut posterum viuas eâ, qua par est, ratione.

Quod si credis, ita teneri te ad conseruandam vitam tuam naturalem, ut nolles graui aliquo incommodo membrum aliquod corporis tui labefactare, eò quod tuus (a) non sis, aut si tuus, tamen tibi ipsi debeas iustam vitæ tuæ conseruationem: quidni idem statuis ad vitam tuam moralem ac spiritualem asserendam, cum tam Dei sis, (b) ut illi viuas moraliter, quàm ut viuas vitâ naturali, & tanto, imò maiori iure tibi debeas conseruationem vitæ tuæ moralis, spiritualis & æternæ, quàm mortalis & temporaneæ.

Hoc igitur sit decretum tuum, hic fructus tuæ Meditationis, ut nolis deinceps vivere, nisi ad Finem illum consequendum, (c) pro
 a Non estis vestri. 2. Cor. 6. prer
 b Quid tam tuum, quàm tu, & quid tam non tuum, quàm tu, si alicuius es, quod es? August. tract. 29. in Ioan. c Si quis non quaesierit Dominum Deum Israel, moriatur à minimo vsque ad maximum; à viro vsque ad mulierem. Iurauerunt q; Domino roce magna omnes qui erant in Iuda, cum execratione: in omni enim corde suo iurauerunt, & in tota voluntate quaesierunt eum, & inuenerunt. 2. Paral. 15.

pter quem viuis, quique vitæ tuæ tam est necessarius, vt ne vita quidem ipsa sit tibi tam necessaria, imò *unicum* sit illud quod est tibi *necessarium*. Tam altum animo imprime hanc veritatem, vt eius rationes non solum intelligentiâ possideas, verum etiam eius affectum, voluntate, eius recordationem memoriâ, atque eius praxim in omnibus diurnis actionibus, totoque vitæ decursu diligentissimè versurpes. Siquidem ea fundamentum est totius ædificij spiritualis; radix est & succus qui vitam ramis omnibus aspirat; est semen, vnde cuncta succrescunt; est oculus, qui illustratus regit corpus vniuersum; est Anima, quæ omnia animat; est denique Finis hominis, qui semel ritè ordinatus, totam eius vitam felicissimè gubernat, & sine quo, totam vitam perturbatissimè decurri, necesse est.

O Deus meus, iam nunc quidem in præsentis sic ab hac veritate euictus sum, sic promptus, vt ei me accommodem, vt de præteritis, futurisque tantum sim sollicitus. Fili mi, dolor & detestatio præteritis medetur; & cordis, à fine suo ob naturales affectus, facile exerrantis, custodia prouidet futuris.

C O M-

COMPENDIUM MEDITATIONIS
in primam veritatem.

I. PUNCTUM.

Veritatis declaratio.

Optimè sumitur exordium vitæ spiritua-
lis à cognitione Finis nostri ultimi,
qui totius vitæ Regula est. Pro explorato
igitur habeas, Deum, vti Principium tuum
est, ita quoque esse Finem tuum ultimum,
ad hoc conditus es, vt illum in hac vita
cognoscas & ames, idemque facere perseue-
res in altera. Non magis tui gratia creatus
es, quàm non es creatus à te; Deus est qui ti-
bi contulit vitam, & propter se illam tibi
contulit, cum habere alium finem sibi pro-
positum nequeat, quàm seipsum. Poterat
quidem te non collocare in hoc mundo, sed
non poterat alio fine, quàm vt illum amares,
illi que seruires: tam verò necessarium est, vt
Deus operetur omnia, propter se, quàm
necessarium est, Deum esse Deum. Atque
illud est *unicum nobis necessarium*, vt ad hunc fi-
nem pertingamus, nam cætera necessaria
non sunt, nisi ad conseruandam hanc vitam
mortalem, at minùs necessarium est nos vi-
uere, quàm viuere non ad hunc finem.
Quid obesset, si non viueres? at quantam
non faceres iacturam, si non viueres ad hunc
finem?

Istud

Istud propriè hominem constituit , teste Sapiente, (a) si Deum timeat, si eius mandata obseruet, is enim finis illius est, & Finis confert homini esse morale, vti forma, seu anima, esse naturale; adeoque quemadmodum homo naturaliter non viueret sine Anima, sic etiam non viuit moraliter sine timore Dei, qui finis illius est. O finem nobilem & eximium! O fortunatos homines, quòd alium finem vltimum non habeant quàm Deum, cùm Deus ipse finem non habeat sublimiorem!

(a) *Eccl.* 12.

II. P V N C T V M.

Aduersio in præterita, & statum præsentem.

Magna profectò dignitas hominis est, creatum esse propter hunc finem, sed hanc dignitatem homo non capit, tantùm enim abest, vt non viuat nisi ad seruiendum Deo, vt vel ideò solùm viuere videatur, vt suis cupiditatibus obtemperet. Intuere hominum studia, an non potiùs eò tendunt omnes illorum actiones vt opulenti, vt commodis, vt honoribus affluentes euadant, quàm vt diuinæ placeant Majestati? istudne est viuere ad finem suum, vitam omnem, omniaque

niaque studia conuertere in res temporales & caducas? non tangit te eorum commiseratio? si quotquot spirantes vides, tibi cadauera vitæ expertia viderentur, quid diceres? At, an non est esse vitæ expertem, perdidisse finem suum, à quo tam pendet vita moralis, atque naturalis ab Anima? quis sensus tuus est de homine infami? nonne censes illum, vt exortem vitæ ciuili, quæ in bona nominis existimatione consistit, iam quodammodò viuere desijisse? at cur idem non affirmes de ijs, qui suo carent Fine, id est, nobilissima, præstantissima Hominis vita? fortè, quòd ex illis es, pudeatque te ijs accenseri? Ah vel idcirco agnosce te non viuere secundum finem tuum, vt erubescas, meritoque pudore suffundaris: nam si saltem huius erroris tui te puderet, non esset omnino desperata res: verum, quia vel hunc errorem tuum non agnoscis, vel agnoscens non erubescis, id demum pessimum est, prorsusque deplorandum.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

Quidquid sit de præteritis, in futurum providendum est: Fides huic veritati, vt cæteris articulis est adhibenda: quòd minus sit necessarium nos viuere, quàm viuere non isto fine,

fine, vt Deo seruiamus: & fidem hanc testari oportet, tum inflammatis affectibus, tum maximè actionibus huic veritati consentaneis. Insanire tibi videreris, si crederes, tam te mundo necessarium, vt absque te, multum illi decederet: at sapientis erit, si credas multum creaturis, tibi obsequentibus decessurum, nisi viuas fini tuo; decedet enim, frustra- que erit, quidquid tibi impendunt obsequij, quod non tibi impendunt, nisi vt tu tuo illorumque creatori obsequaris.

Quid hinc agis, si non istud agis, propter quod hinc existis. Nihil agitur, dum non id agitur, quod agendum est. Non auderes priuare te vita naturali, cum tua non sit, neque tu tui sis iuris, & cur priuabis te vitam tuam morali, æternaque, cum tibi non sit maior in finem tuum, quam in vitam, facultas? Si tibi necessariò amittenda esset aut vita temporalis, aut æterna, quid ageres? semper viue, quasi in tali necessitate constitutus, firmiterque crede, in quavis actionum tuarum agi de vita æterna, propter quam cætera omnia perdenda sunt; neque quidquam, præter hoc vnicum, esse tibi necessarium. O Deus meus, id volo, id cupio, conserua hanc optimam in me voluntatem, si fortè aliquod aliquando desciscendi periculum immineret.

SECUNDA VERITAS.

Tam vniuersim in omnibus actionibus nostris contendendum esse ad finem illum, vt, si aliqua pars vitæ nostræ, non ea intentione ordinetur, dicere non possimus, nos non viuere, nisi ad hunc Finem.

*Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prater-
eat. Eccli. 14.*

MEDITATIO

In secundam veritatem.

I. PUNCTVM.

Declaratio presentis veritatis.

OPorteret eum expertem esse Fidei, & mentis, quisquis negaret prosequendum esse finem illum, propter quem huius vitæ v-
surâ fruimur, & quisquis nollet saltem aliquando, in quibusdam occasionibus, quibus eius meminit, eodem conniti: sed difficultas est, ita persuasam habere hanc veritatem, vt non ex vi illius persuasionis, nulla pars vitæ nostræ eò collineet; nihil appetamus, nisi in obsequium Dei & salutem nostram; nulli negotio, nulli actioni, incumbamus, nisi intuitu,

tu studioque huius finis. Hoc tibi nunc meditando est, ea est secunda veritas, quæ primam distinctius exponit, eiusque exercitium commonstrat, quasi manu ducens in omnibus actionibus, & singulis vitæ tuæ particulis, vt in iis persequaris, assequarisque finem tuum, nulla prorsus admittenda, quæ eò non spectet. Nam, si viuere non debes, nisi ad hunc finem, vt didicisti, necessariò sequitur, nullam esse debere actionem aut particulam vitæ tuæ, quæ (quantum quidem in arbitrio tuo facultate sitū est) eò non tendat: si enim earū aliqua aliò auerteretur, dicere nō posset te nō viuere, nisi ad finem tuum, cum hæc particula, seu actio, inde exerraret. Vt si artificii incumberet totius diei laborem & operam Hero suo consecrare, illeque duas tresve horas vel otio dilapidaret, vel cum detrimento Domini sui, cui diurnam operam debebat, conuerteret in suum emolumentum, an non mali doli foret reus? dicerene sine mendacio posset, nihil se, nisi Domini gratiâ laborasse?

Hanc rationem altè animo infige, & vt adhuc solidius secundam hanc veritatem tibi persuadeas, expende illa quoque argumenta, quæ primam veritatem, nempe, *nos viuere non debere, nisi propter Deum*, potissimùm euincere potuerunt, nam videbis inde effici, quod ergo sit illi in omnibus omnino actionibus nostris seruiendum, neque aliud, quàm hunc finem,

nem,

finem, spectari posse. Quænam porro illa sunt argumenta? estne ideò, quòd Deus id officij à te mereatur; an, quòd istud tibi præcipiat? an ob præstita, præstandaque tibi beneficia? an ob mala, quæ tibi, nisi illi seruias, comminatur? an, quòd Finis tuus sit, Ratioque euincat, id omitti non posse? Estne, quòd penitus sis iuris diuini, neque fas tibi sit, cum damno honoris illius, quidquam de te disponere? estne, consideratio æternitatis in altera vita, & vanitatis in præsentia? estne reuerentia Iesu Christi, illius meritorum, laborum, Amoris & Gratiarum tibi impensarum? Estne sanctorum exemplum? estne voluptas, dignitas, & utilitas, quæ in Dei seruitio, percipitur? quæcunque illa sint, attento animo reuolue, excute, expende, & tandem collige, si vi horum omnium argumentorum obstringimur generatim diuino seruitio nostræque salutis vacare; eorundem efficaciam obligari te, vt in omnibus singulisque actionibus tuis, peculiariter eidem incumbas.

Nam seruire Deo, non tantum in eo consistit, vt illum ores, vt diuinis intersis officiis, aut operi bono vaces, sed vt facias voluntatem eius, vt eius decretis obtemperes: cum ergo nulla sit actio, neque momentum vitæ tuæ, quo Deus non decernat velitque aliquod à te obsequium sibi exhiberi, an nõ æquè hac hora, hac actione obstrictus es, quàm aliâ, quandoquidem Dei voluntas hic æquè reperitur.

riatur? (a) & cum vnum aliquod opus idcirco
 solum perficias, quod Deus illud velit, cur
 non perficias aliud, si & istud æquè velit? Nū-
 quid verum est, sic assentiendum esse omni-
 bus fidei articulis, vt si vni neges assensum,
 iam ne cæteris quidem assentiaris fide Theo-
 logicâ & diuina? Pari ratione sic acceptan-
 dæ sunt omnes Dei voluntates, vt si repellas
 vnâ vnâ, iam magnum periculum sit,
 ne cæteras, eius intuitu, puraque intentione
 non exequaris, quidni enim etiam hanc? (b)
 Si ad Orientem iero, inquit Iob, Deum inuesti-
 gans, non apparet. si ad Occidentem, non intelligam
 eum; si ad sinistram, non apprehendam eum; si me
 vertam ad dexteram, non videbo illum. Unde
 istud, quod Deus, qui in toto vniuerso est,
 in hisce partibus vniuersi non reperiatur?
 Respondet D. Gregorius (c): Creator omnium,
 ideo in parte non est, quia vbique est; & tunc minus
 inuenitur, quando is, qui totus vbique est, in parte
 queritur. Si tantum in Oriente aut Occidente
 illū quæris, id est, Manè aut Vesper, aut tum,
 quando precatorium pensum illi persoluis,
 reliquo verò die non memineris obsequiorū
 illi exhibendorū, non reperies; tam enim præ-
 sens adest reliquis tuis actionibus, tamq; di-
 gnus est, appetensq; vnaquaq; illarū particu-
 lariter

a Perfecti & integri in nullo deficientes. Iac. 1.

Vt stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.

Colos. 4.

b Iob 21. c 16. Moral. 15.

lariter honorari quàm matutina vespertina-
 que prece. Non hoc exigit ad seruitium
 suum, vt continuò sis in oratione, sed meritò
 queritur, quòd cum æquè possis illi deseruire
 actione tua, atque oratione, isto priues illum
 seruitio. Quod si præcipit, vt (a) *sine intermis-*
sione oremus, sensus ille est ex mente D. Ba-
 siliij, *nos sine intermissione tum orare, vbi omnis vita*
nostra ratio atque institutum diuina nos conformauit
voluntati, sic vt vita nostra dici & esse promereatur
continens quædam & indiuisa Oratio. Opus enim
 benè recteque factum oratio est, (b) & laus
 Deo dicta, ad eum modum, quo dicuntur
 creaturæ omnes tum Deo benedicere, cum
 faciunt voluntatem eius. Maneat igitur, de-
 cretumque (c) sit, semper & vbique, sine vilo
 temporis, loci, aut actionis discrimine, con-
 tendendum esse ad finem suum, Deoque
 seruiendum.

Minutiùs iam inquire, quid sit, Deo in
 omnibus operibus tuis deseruire? Id reuoca-
 tur ad duas hasce partes Iustitiæ, declina à
 malo, & fac bonum. Quod ad malum atti-
 net, cuiuscunque generis illud sit, semper
 abominandum est: bonorum verò genera
 omnia tametsi quis facere non cogatur, de-
 bet tamen, quidquid facit, facere bene. à

(a) *Luc. 18.* (b) *v. Aug. in Psal. 34. I. Petr. 3.*

(c) *Vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni*
sapientia, & intellectu spiritali, vt ambuletis di-
gnè Deo per omnia placentes. Colof. 1.

conditione tua disce, quid facere te quotidie oporteat, & hinc doce conditionem tuam, ut bene istud recteque facias: istud bonum tibi faciendum est, ut quod conditio à te tua requirit, facias bene.

Facere autem bene, est explere tres illas Dei voluntates, de quibus loquitur Paulus Rom. 12. bonam, beneplacentem & perfectam, quæ continent nostrarum actionum substantiam, modum, & finem. Est facere id, quod credimus Deum velle, à nobis, & eo modo, quo vult, & tantum propterea, quia vult.

Hoc igitur vnum superest, ut tres illas voluntates applices omnibus actionibus, in statu tuo, & per totum diem, peragendis; & tum demum pro conclusione huius puncti, & perfecta propositæ veritatis declaratione dicere poteris: age, anima mea, illud est contendere ad finem tuum, Deo seruire, tuamque salutem comparare: est surgere, laborare, edere, bibere, loqui, tacere, ire, redire; verbo, est, nihil agere, nisi quod credimus Deum velle, & agere ordinarias nostras actiones, quas scimus illum velle, ad eum modum, quo vult, & quia vult. Quantum tibi debeo, o Deus meus, quod obsequium tuum & salutem meam rebus tam promptis expeditisq; alligaueris, Si me perpetuo orationibus, aut ieiunijs, aut stipi erogandæ vacare voluisses, nescio sanè, an obsequium tuum, &

B

salutem

salutem meam procurare potuissem, feci
cùm nihil incumbat aliud, nisi quod quoti-
die iuxta conditionem meam mihi agen-
dum est, ò quàm me beatum felicem que re-
puto, quòd & cognoscam voluntates tuas, &
exequi tam facilè queam!

II. P V N C T V M.

*Aduersio in vitam præteritam, et
statum præsentem.*

Magna sine dubio, Dei bonitas est, serui-
tium suum & salutem nostram collo-
casse in rebus obuijs, tamq; facilibus, uti sunt
consuetæ nostræ actiones, neque tam onerosa
est, quàm honor, quòd ad eas bene peragen-
das nos obligarit. Sed quomodo obliga-
tioni satisfacimus? surgimúsne, quando
scimus id Deum velle? damúsne operam
ut id sciamus? ideóne ad opus, ad studia, ad
mensam, ad ludum nos conferimus, (a) quòd
Deus ita velit? In ijs eâ, quâ vult, rationem
nos gerimus? Ah quàm parùm de eo cogi-
tamus! quàm parùm dignè seruiamus tan-
tæ Majestati, quæ obsequij loco admittit
illas ipsas actiones, quæ nostris commodis
seruiunt

(a) Seruiunt creatura potius, quàm Creator
Rom. I.

seruiunt, & heu! nolumus. Si præcipit ardua difficiliaque, obloquimur, ipsamque difficultatem excusationis vice prætendimus; si commoda ac facilia, tanquam indigna illius seruitio, aspernamur; quo igitur modo seruimus illi, cum & ab obsequijs nos auocant difficultates, & commoditas non stimulet?

Quod probrum foret illi, qui Regis, eiusque benignissimi adscriptus famulitio, tamen non nisi honorifica & perquam facilia, & maximis propositis præmijs exigentur, ille nihilominus manum operi non ad-moueret, aut ea tantum exhiberet obsequia, quæ arrideret, nulla habita ratione æquissimarum Domini sui voluntatum? (a) Ah in Aulis tales famuli non existunt, quis enim eos toleraret, at in seruitio Dei, quotusquisque est Minister, in quem hoc probrum non cadat? & tamen ipsius probri verecundia & exprobratione vix vlli tanguntur; animos & securitatem sumunt ab vno aliquo opere per diem exercito, quasi nulla illis ratio reddenda foret de denis, vicenisque quæ aut inutiliter, aut imperfectè peraguntur. An non ex illis vnus es? nonne nunc doles, postquam vidisti debere te Deo seruire in omnibus actionibus tuis? quot vel neglexisti, vel fecisti non benè? scias totidem esse partes vitæ tuæ furtim auersas ab eo, cui integram il-

B 2

lana

(a) v. l. 3. c. 3. de imitatione Christi.

lam meritissimo iure debebas: scias totidem esse neglecta obsequia; totidem exprobrationes, quas obijcere tibi debet conscientia tua, quòd tam exiguo sit apud te loco, & Deus, & salus (a) tua immortalis. His affectibus, si eos sentis, paululum immorare, si verò non sentis, perge te confundere, veniam quòd eius delicti à Deo postulare, quod non sentias, te illum despectui habuisse.

(a) *Ponite corda super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum; qui mercedes congregauit misit eas in sacculum pertusum. Agg. 1.*

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

VNicum solatium ijs superest, qui sensibili præteritorum vitiorum dolore non tanguntur, vt saltem æstuent bono desiderio firmoque animi proposito, eadem præcauendi sollicitiùs. At illis, qui tenero pietatis sensu affluunt, tum licet esse securis, si vnà seriatim vitæ emendationem constanter decernant: nam alioqui, teneritudines hæ merissimis lucificationibus accenserentur. Itaque quisquis sit tuus sensus de præteritis, animo resume in futurum, & si verum est istud quod primo puncto meditatus es, delibera, vtrum ad eam normam non magis exigenda sit deinceps vita, quàm feceris hæc-

nus

(a) B

nus. Ne existima satis esse, si intelligas credasque teneri te, vt vniuersim omnibus tuis actionibus contendas ad finem tuum, in ijs Deum quærendo, quemadmodum reuera reperiri potest; aut vt doleas te id hæctenus neglexisse: nisi etiam acceptes hanc obligationem, ac firmiter statuas, eandem cum diuina gratia explere, tantoque libentiùs, quanto clariùs agnouisti, ac detestatus es, te hæctenus officio defuisse.

Melior reparandi temporis præteriti non est modus, quàm meliùs illud, quod superest, collocare. (a) Sufficit enim præteritum tempus indulgisse nostris desiderijs & affectibus; æquum iam est, vt quod reliquum temporis nobis conseruauit Deus, id illi redhibeamus. neque nimium est, istud impendere in obsequium illius Dei, qui ab ipsa æternitate nos dilexit; illius Christi, qui singula vitæ suæ momenta nostris commodis impendit; & ad cælum comparandum, cuius immensa felicitas tam prompta est, vt liberum nobis sit eandem vel lucrari, vel prodigere, prout agenda, benè vel malè, peregerimus.

Si exigerentur à me facultates meæ, si alimenta, si negotia, si deliciae acciderentur, esset fortassè quod vererer, ne cupiditates meæ, aut desiderijs suis frustratæ, aut molestijs appetitæ repugnarent, sed nihil rerum necessariarum, ne licitarum quidem voluptatum subtra-

(a) Ex 1. Petr. cap. 4.

subtrahitur, solum id suaderetur ut eas non v-
 turpes, nisi quando Deus vult, & quomodo
 vult, & quia vult. quid hic arduum videatur
 amoris proprio, quandoquidem, sine vlla reru
 temporalium iactura, æterna quoque bona
 indispiscamur? Quamquam forent amittenda
 omnia, tamen ob ingens negotij momētum,
 eò compellendus esset animus. At si loco ja-
 cturæ nobis lucrum offeratur, quid superest
 nisi ut ad fouendam propositi constantiam,
 semper maneamus ita constituti, ut nihil ag-
 grediamur operis imposterum, nisi quatenus
 scimus id peragendum esse, ut ad omnia fi-
 mus indifferentes, donec intelligamus, quid
 Deus velit; postquam verò intellexerimus, il-
 licò nostrā ei voluntatem accomodemus.
 Hæc igitur proposita firmiter decerne, & si
 de re aliqua dubius es, lumen à Deo postu-
 la, attentisq̃ue animi auribus præstolare re-
 sponsum.

Mi Deus, hoc vnicum me habet anxiū, (a)
 qui scire semper possim, quid à me velis, &
 modum, quo peragi rem cupis. Fili mi, sal-
 tem ea ne omitte, quæ facienda dictabit
 necessitas, & directio superiorum aut ipsius
 conscientiaæ tuæ, & leges tuæ conditionis, &
 alij per diem occurrentes casus: & conare, e-
 quan

(a) Rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu,
 quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oportet
 vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis,
 abundetis magis 2. Thess. 4.

quàm perfectissimè operari. Quisquis enim facit, quidquid ex me intelligit, facit satis: & plura si velim ab illo fieri, faciam vt in tempore intelligat.

COMPENDIUM MEDITATIONIS in secundam veritatem.

I. P V N C T V M.

Veritatis declaratio.

Plurimum refert scire, quòd vni Deo viuendum sit, aut non viuendum omninò; parùm tamen est, nisi quoque scias, quid sit viuere vni Deo. At hoc ipsum exponit secunda veritas; vni igitur Deo vivere, est nullam penitùs vitæ partem Deo non impendere, si enim minima aliqua particula, vel actio vitæ tuæ non ordinetur in hunc finem, qua fide asseuerare poteris te non viuere nisi propter Deum, cum illi secundùm hanc particulam aut actionem inde aberrantem non viueres? sed cur aliquam partem aliò auertes, cum rationes omnes, quæ euincunt debere nos Deo seruire, quoque comprobent tam vniuersim omnibus nostris actionibus esse illi seruiendum, vt si in aliquibus deficiamus, periculum sit, ne illi non seruiamus in ijs ipsis, quas arbitramur in eius seruitium esse directas: vt qui vni articulo credendorù fidem derogat, periculo

culo se exponit, ne nihil credat. Nō id solū est seruire Deo, vacare orationi, ieiunijs, pijsq; alijs operibus: minimè profectò; omnibus actionibus nostris illi seruire oportet, declinādo quidquid malū est, & faciendo bonum illud, quod ratione statū fieri vult à nobis, atque eo modo, quo fieri vult, & quia vult, quantum Deo seruiendi commodum est, posse illi in omnibus actionibus nostris deseruire! O benignum Dominum qui tam leuibus obsequijs acquiescit.

II. P V N C T V M.

Aduersio in vitam præteritam & præsentem.

QUOD obsequium factu facilius est, eò culpabilior est seruus, si non facit. Tu igitur, qui agnoscis tam esse facile seruire Deo, seruiendo illi omnibus tuis actionibus, an non grauis culpæ reus es, si obsequium illi negas, quod tibi tam facilè est & expeditum? Enumera, si potes, actiones tuas diurnas ab aurora in noctem, & vide, num ex denis vna fiat propter Deum, aut ea perfectione quâ fieri illam veller: *Et nouem ubi sunt?* nōne tam verè, furtim sublata sunt Domino tuo, quam verè, iuxta primam veritatem à te consideratam ad illum pertinebant, quarum finem non magis potes tibi vendicare, quam tibi persuadere,

re,

re, te vitæ tuæ esse auctorem ? Ausin' tibi-ipli manum vel digitum amputare ? quomodò igitur ausus es amputare tot actiones vitæ tuæ, illasque ultimo suo fine spoliare, cum vita tua non solùm ratione membrorum, sed ratione vsûs eorundem, omniumque actionum hujus vitæ, ad Deum pertineat ? O quæ ratio tibi reddenda est ! quo pudore suffundi te oportet deprehensum in tali sacrilegio, quo totidem Deo tuo suffuratus es actiones, quot alijs finibus, quàm eius gloriæ propagandæ, & eius obsequijs, impendisti !

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

S I non doles tam malè te tempus antea actum collocasse, insensibilis es, at si doles, neque tamen provides in futurum, inanis dolor est meraque ludificatio. Vtiliùs nequis deflere, reparareque tempus præteritum, quàm si seridò statuas fidelius collocare id, quod tibi vitæ reliquum superest. Nonne satis obsequiorum perdidisti Deo debitorum, dum prodegisti tot, citra illius obsequium, actiones ? vin' adhuc aliquid de modico quod restat, dilapidare ? quantum tibi temporis ad viuendum adpromittis ? crastinum tibi non auderes polliceri ? & cum tibi fortasse luceat hæc dies vltima, cum non supersit, nisi hæc

B 5

hora,

hora, hoc momentum, qua fronte audebis illi tantillum denegare? & vt totos centum annos adhuc viuendo decurreres, nimumne daretur Deo, ratione suæ Maiestatis? nimum intuitu meritorum Christi? nimum, pro beata æternitate? demum, quid perdes, si redhibeas, quod suum est? tuum id potius emolumentum est, quàm Dei; illi dare, accipere est; est acquirere, suum illi reddere, pro illo perdere, est lucrari. O Deus, et si facienda foret rerum omnium iactura, nonne dignus es? Ita statuo, nolle me deinceps vllam rationem ducere, neque lucri neque iacturæ, sed Dei solius, qui vnus mihi sufficit & sine quo cætera omnia deficiunt, merumque sunt nihil.



T E R.

TERTIA VERITAS.

Omnia vana esse in hoc Mundo, nisi nos ad Finem nostrum promoueant: & Hominem esse vanitatem vanitatum, omniaque vana reddere, nisi ijs, ad hunc Finem obtinendum, utatur.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: (a) vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quid habet enim homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole, nisi aliquid sole terrenisque rebus altius spectet, nempe finem suum?

M E D I T A T I O

In hanc tertiam veritatem.

I. P U N C T V M.

Eiusdem veritatis declaratio.

Tertia hæc veritas est luculenta duarum præcedentium comprobatio, nec quidquam reddere nos potest securiores, magisque obfirmatos in ea sententia, quâ credi-

(a) Eccl. c. v.

mus, vnicum id nobis esse necessarium, vt ad finem nostrum contendamus nostris omnibus actionibus, quàm si intelligamus cætera omnia merissimam esse vanitatem & afflictionem spiritus, hoc est, purum putum nihil, cui non magis, quàm somnio aut illusioni, sit attendendum. Sed quo id modo verum sit, quaque ratione cum ijs consentiat, quæ legimus in libello Exercitiorum, vbi creaturæ omnes de se dicuntur indifferentes, iam nobis considerandum est, & vt ordine fiat;

Aduerte primò, quando hic sermo instituitur de creaturis mundanis que rebus, eas intelligi præcipuè quæ potissimum afficere permouere que nos possunt, vt est sanitas, forma, opes, dignitates, honores, nobilitas, scientia, vita, boni nominis existimatio, aliaque eius generis, aut ijsdem contraria.

2 Hasce res omnes, vniuersalque creaturas considerari posse, vt bonas, vt indifferentes, vt vanas & malas. Bonæ sunt non solum bonitate naturali quâ existunt, verum etiam quadam bonitate, quam desumunt à fine, cui creatæ sunt à Deo, nimirum, vt vsu suo nos ad finem nostrum consequendum promoveant. Hoc fine & institute Deus illas condidit, nobisque obtulit: at quia ob arbitrij libertatem, integrum nobis est ijs vti, aut abuti ad fines alios, ad quos nobis concessæ non sunt, hinc dicantur indifferentes; hoc est, nec bonæ, nec malæ, quando considerantur in se, abstra-

abstractæque ab illo Fine, à quo bonitatem mutuantur, & quatenus aptæ sunt benè vel malè cum libuerit, à nobis vsurpari.

Quod si dicas, idcirco non desinere bonas esse, quamuis ad finem illum non referantur, neminemque reperiri cui sanitas, opes, honores, voluptates non bonæ appetendæque videantur: Respondeo, cuncta hæc bona, ita nudè considerata, neque relata ad finem altiorem, non esse nisi vana, bonique speciem præ se ferentia, vanitatem esse, eadem appetere, iisdem occupari. (a) Quin vel ob hoc ipsum, quòd plerumque à fine nostro nos auertant, plusque damni adferant, quam obsequij, dici merentur bona perniciosa, & malorum nomine potius, quam bonorum notari; hæc enim ratione dicuntur in sacris litteris, (b) *Creatura in odium facta, & in tentationem animabus hominum, & in misericordiam pedibus insipientium.* Itaque vides, qua ratione creaturæ bonæ sint, quæ indifferentes, quæ vanæ & malæ: Eaque consideratio rectè instituta, plurimum prodest, ad nos in duabus prioribus veritatibus confirmandos. Si enim propterea creaturæ bonæ sunt, quòd Deus eas creauerit, ut nobis seruiant deducantque nos ad finem nostrum, an non obligamur ad eandem Dei capessendam intentionem, ad ijsque

uten-

(a) *Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus in mala convertuntur Eccli. 39. vbi plura eiusmodi, (b) Sap. 14.*

utendum non alio fine? si sunt indifferentes ex se, neque bonæ, nisi relatæ ad hunc finem, an non etiam nos indifferentes esse oportet, ut eas neque magnificiamus, neque appetamus, neque vsurpemus, nisi hac eadem intentione? Quod si extra finem hunc vanæ sunt & perniciosæ, nonne consequens est, ut ijs renuntiemus, vnique Bono solido ac vero adhærescamus?

Verum, quia bonum sensibile, quo affectæ sunt, ita nos fascinat, ut ijs tanquam fini, & non tanquam medijs ad finem assequendum, facile animum applicemus: hic peculiariter considerare debemus, totum id bonum sensibile, uti diximus, siue honoris, siue voluptatis, siue commodi, quidquid denique natura expetit, seu mundus sectatur, merissimam esse vanitatem, si illi soli inhærescamus, neque ad solidius veriusque bonum, qualis est finis noster, referatur. Imò verò bonum istud inanis vanitas est, quia non est solidum, imò verò ineptum ut nos expleat, ut nos reddat bonos beatosque; non est permanens, sed instabile & caducum; (a) non est proprium homini, ad sublimius quoddam bonorum genus, condito, qui que sine iniuria conditionis suæ, tam vilibus falsisque bonis adhærere non potest.

Hinc homo, qui illis adhæret, his ipsis vanitatibus vanior est, & *vanitas vanitatum,*

(a) v. Eccl. 2.

(a) quod

(a) quod earum sit causa & origo. Ille ipse est, Homo est, tu es, ego sum, qui hanc creaturarum vanitatem procreamus, ijs inhærendo, sine vlllo finis nostri intuitu; cum enim ex seipsis sint indifferentes, possintque fieri bonæ, si benè ijs vtamur, alia ratione non sunt vanæ, nisi quod vitio nostro, suo fine ac bonitate exinaniantur, dum ijs non vtimur tanquam medijs ad Deo seruiendum, salutemque nostram procurandam, sed tanquam bonis ex hominum opinione, & naturæ sensu, iucundis, vtilibus, & honorificis, nulla finis nostri habita ratione, quæ vanitas est, & cuius vanitatis causa est homo. Quoniam igitur plerumque homines bonis temporalibus & creaturis non vtuntur, nisi ad delicias, commodaque temporalia, idcirco tum scientiarum dignitates, honores, voluptates, sanitas & vita, non alio nomine, quam vanitatis censentur, non quidem ex sese, sed propter consuetum hominis abusum. Vteretur enim homo rectè scientiâ suâ, authoritate, sua valetudine, cæterisque naturæ bonis, non iam vanitates dicerentur, sed potiùs animi decora, vitæ temporalis instrumenta, & ad æternam præsidia.

Ita censet rerum omnium arbiter Deus, cuius iudicio par est, nostrum consentire, & nefas

(a) *Supra. Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo v uens. Verumtamen in imagine pertransit homo, Ps. 38.*

nefas sit dubitare, quin tales sint, quales ille
 cenſet. Conſidera ergo, quo apud Deum ſint
 loco bona mundi vniuerſa. Quid de ipſis ſa-
 cræ litteræ teſtantur? quid pronunciat Dei
 filius? quid Spiritu S. afflatæ Animæ? nõne
 Dei vox eſt: (a) *Vanitas vanitatum & omnia va-
 nitas?* nõne Euangelium Chriſti: (b) *Nihil
 prodeſſe homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, ani-
 ma verò ſua detrimentum patiatur?* nõne id effecit
 aduentu ſuo Spiritus Sanctus, vt non contem-
 mur ea, quæ videntur, temporalia, quemadmodum
 loquitur Apoſtolus, (c) *ſed ea, quæ non viden-
 tur, æterna?* & ratio, quam Deus adfert, digna
 eſt conſideratione, vt dictorum ſuorum veri-
 tatem intelligentiâ clariùs aſſequamur: *Quid
 habet, inquit, amplius homo de vniuerſo labore ſuo?*
*quæſi diceret, an non luculentum testi-
 monium eſt, hæc vniuerſa bona temporalia eſſe
 vanitatem, quod homo ex hac vita decedens,
 nihil horum amplius habeat bonorum? &
 nunquid iſtud ipſum eſt, quod in altera vita
 miſeri illi miſerrimè lamentantur: (d) Tranſie-
 runt illa, tanquam vmbra, & tanquam nunci-
 ſurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuan-
 tem aquam, & (e) ſicut ſomnum viſionis nocturnæ, &
 ſicut vapor ad modicum parens: & (f) nos nati conti-
 nuò deſuimus eſſe? non quod plures annos vi-
 uendo non peregerint, ſed quod nihil ex hac
 ſua*

(a) Eccl. 12. (b) Matth. 16.

(c) 2. Corinth. 4. (d) Sapient. 5.

(e) Iſa. 29. (f) Iac. 4.

sua vita retulerint? Et ad hanc veritatem nobis comprobendam sufficere deberet vnus testimonium Salomonis, vniuersa mundi bona experti, & nihilominus contestantis, nihil esse, nisi vanitatem; sed quia sic sunt homines vt & ipsi prius experiri velint, quàm credant, Deum potiùs audiamus, ore huius sapientis nos alloquentem, qui que ita nos alloquitur, vt non tantùm instruat intellectum, verùm etiam blandè commoueat affectus, & voluntatem validè inflectat, vt re ipsa vitam nostram moresque ad veram viuendi normam, hoc est, Iudicium ipsius, exigamus. O Deus dignissime, cui non minùs obedientia, quàm fides præstetur, fac me sic ijs, quæ de mundi vanitatibus me docuisti, fidem habere, vt congruenter obtemperem mandatis tuis, tum ad præterita expianda, tum ad prouidenda futura.

II. P V N C T V M.

Aduersio in vitam præteritam & statum præsentem.

Primus huius cognitionis effectus est, vt animo exponat miseriam mundi, aut plerorumque mortalium in hac vanitate viuentium, conditionem, deinde eum rapiat in stuporem tam horrendum, vt continere se nequeat, quin exclamet cum Vate Re-
gio:

gio: (a) *Filij hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & queritis mendacium?*

Sed ne quis aliorum potiùs, quàm sui meminert, alter affectus est demissæ confessionis, & serij doloris, quod heu! nimum his puerilitatibus vanitatibusque dediti fuerimus, ex quibus nullum fructum alium, quam probrosam erubescendi materiã, Paulo teste, collegimus: atque utinam hunc saltem fructum collegissemus, adeoque erubesceremus, ut puderet eodem reuerri. quid censes? quale de mundanis rebus formatum tibi iudicium est? intuitusne eas es, cum illa animi in neutram partem propensi moderatione, atque indifferentia, ut vnã, præ alia, non appetueris, nisi iuxta Dei beneplacitum, quod esse debet tuorum norma desideriorum? hæc anxietates, hi metus, hæc tibi blandientis animi oblectationes, hæc auersiones, & tot affectus alij, qui tam varium instabilemque te reddunt, ut in vultu quoque tuo & verbis nõ obscure se prodant, vnde, inquam, illi, nisi ab aliqua ad obiectum aliquod adhæsione, & vnde hæc adhæsio, nisi à peruersã obiecti æstimatione? æquo pluris istud facis, aliter æstimas, ac Deus; neque error ille dumtaxat afficit intellectum, sed in voluntatem quoque inuadit, omnes affectus tuos, cunctasque actiones perturbat; illum spirat tota vitæ tuæ ratio,

(a) *Psal. 4.*

ratio ; cùm enim Iudicium sit viuendi dux & arbiter , illudque in rerum æstimatione corruptum, deceptum que sit, sequitur necessaria consecutione, totam quoque vitam, nihil aliud, quàm deceptionem, mendacium & fallaciam fuisse. (a) ignosce o Deus meus, & cùm deliquerim in æstimatione rerum, quas ad trutinam externæ speciei & inordinatorum meorum affectuum potius, quàm veritatis expendi, fac vt agnoscam huius delicti grauitatem, vt illud, pro eo ac meretur, defleam detester que.

(a) *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitati in id ipsum. Ps. 61.*

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

Q Via recta illa, aut peruersa rerum æstimatione potissimum afficit tres animæ facultates, hinc propositum quod nobis iam concipiendum est illas maximè spectare debet. Propone igitur intellectui tuo Veritatem primo puncto declaratam, & vide, num is illi consentiat; num agnoscat res orbis vniuersas, utpote nobis à Deo, nullo alio nomine, concessas, nisi vt media sint illi seruiendi, prosequendi que Finem nostrum, tanti esse, quantum eò nos promouent, & si non
pro-

promouent, nihili esse, meramque vanitatem? quid arbitraris? quanti nunc coram Deo, & ex animi sententia facis terrenas opes & dignitates? hac in re corrigendum iudicium est, quod falsa rerum specie, & cupiditate nimia, permisit in errorem se abduci; utque illud rectè corrigas, dictum est, exigi debere ad normam eius iudicij, quo Deus res æstimat, ut in materia fidei facere soles, si fortè sensus tui, & humanæ rationes oblucentur. An non hoc æquum est? an credes iudicium tuum esse diuino iudicio exactius? imò si credis falli te, dum aliter iudices, volésne perpetuò in hac fallacia viuere?

Hinc sequitur propositum, (a) quod voluntas elicere debet, nihil amandi, nisi verum suum bonum, & Finem sibi à Deo constitutum, cum enim solus amor rerum sensibilium illam ab eo auertat, & nihil ipsæ boni contineant sed vanissimæ sint, ~~meque mendacia~~, nisi ad finem illum referantur, quo affectu in Vanitatem & mendacium ferri potest?

Memoria, meminisse illius debet, dum occurrunt obiecta, & appetendi facultas commouetur. Nam cum Imaginatio à sensibus imbuta, alios ab ijs, quos hinc discis, rerum obiectarum conceptus menti imprimat, con-

remnendi

(a) Nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in toto corde vestro. Et nolite declinare post vana, que non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 1 Reg. 12.

temnendi sunt, eo modo, quo vanos falsosque rumores explodis. Quid diceres, si te alicuius negotij conscius, certumque, ignarus aliquis aut insanus in vanis rumusculis interpelleret? patererisne te decipi? non rideres eos, qui narranti aures accommodarent? nonne diceres, te certis authoribus scire, illa esse falsa, tibi veritatem esse exploratam? idem tibi tum dicendum est, quando inepta imaginatio tibi volet persuadere, diuitem hunc beatum esse, hunc pauperem, miserum; illicò responde, falli illam, nisi alio quodam vel bonorum vel malorum genere hi homines præditi sint; aliunde te iam scire, quod bonum aut malum in diuitijs aut paupertate situm non sit, sed in illarum usu, quodque cuncta bona sint, benè vtenti, & ad finem suum vltimum referenti, illi verò, qui aliter vtitur, vniuersa vana esse ac perniciofa. Nonne ita est? Nonne nunc verum esse censes? at, non erit æquè verum, quando imaginatio tua tibi contrarium nitetur persuadere? Memineris igitur huius formati modo Iudicij, vt eodem semper cuncta censeas; nam illi nihil, nisi Error & falsitas aduersatur.

COM-

COMPENDIVM MEDITATIONIS
in tertiam veritatem.

I. PUNCTVM.

Eiusdem declaratio.

AD mentem in fide duarum priorum Veritatum stabilendam, tertia hæc proponitur : & quando dicuntur res omnes esse Vanitates, illæ peculiariter intelligendæ sunt, quæ plus habent momenti ad animos à fine nostro auertendos, vt scientia, honor, opes, voluptates, & alia huius vitæ bona, quæ tum *Vanitatis* nomine dedecorantur, quando nudè spectantur, vt huic vitæ comoda. Nam alias, si iuxta Dei destinationem, qui cunctas Creaturas idcirco condidit, vt nobis vsui forent, ad illi seruiendum, illis vtimur, nulla creatura non bona est ; verùm quia plerumque ijs abutimur ad fines alios detorquendo, abusu ipso creatura fit vana, & quantumcumque boni contineat, totum illud bonum Vanitas est, ipseque homo Vanitas Vanitarum merito nuncupatur, cum creaturas reddat vanas, non vtendo illis ad finem suum, exinaniens illas vera bonitate quam à fine participabant, solo caduco huius vitæ bono illis relicto, quod ipsa vitæ periculis fragilitate solidius esse non potest. Ita

de illis iudicat Deus, neque exactior rerum
 æstimandarum regula potest adferri, quàm
 Diuinum hoc iudicium, ad quod, par est, no-
 strum exigi, vt creaturæ rectè æstimentur.
 deberemus experto credere Salomoni, tam-
 etsi vnus ipse de rerum vanitate testimonium
 diceret; sed quando aduertimus Deum no-
 bis per Salomonem loqui, suiq̃ue dicti hanc
 reddere rationē; quòd homo nihil referat de
 labore suo, quo laborat sub sole, nisi ad finem
 bonum dirigatur, satis lanè argumēti est, vt
 credamus, hunc finem nobis in omnibus no-
 stris laboribus propositum esse debere, nisi la-
 borare frustra velimus, omnisque operæ, quin
 & vitæ nostræ iacturam facere, quid sensus?

II. P V N C T V M.

*Aduersio in præterita & præ-
 sentia.*

Filij hominum vsquequò gravi corde & in ter-
 ras depresso, vt quid diligitis vanitatem &
 mendacium? res est profectò dignissima, quam
 cum Dauide obstupescamus, homines po-
 tiùs vanitatem sectari quàm, soliditatem
 poriozem mendacii, quàm veritatis rationem
 habere. Sed an non tu ex illis es? quale de re-
 bus huius mundi formas iudicium? an ad
 normam iudicii diuini? an, eatenus æstimes
 quatenus ad prosecutionem finis tui vel pro-
 sunt,

sunt vel obsunt? an ad cætera indifferentem adferas ànimum? vnde igitur hi mœrores & anxietates, si aduersi aliquid tibi contingat, cum ne illud quidem obesse, si nolis, tibi possit, & si velles, plurimum prodesset ad finem tuum consequendum? Ah! quàm liquidò affectus tui & actiones manifestant, peruersum esse iudicium tuum, réque potiùs ex opinione mundi quàm iudicio diuino, æstimare res mundanas! an non hoc errare est, séque ipsa vanitate reddere vaniorem?

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

Q Via externa rerum specie deceptum Iudicium nostrum, eas vanas efficit, imò vanitatem; modus optimus illud à deceptionibus eximendi, est, non inhærere isti speciei, sed diuino potiùs Iudicio, vti facere solemus in fide, quando sensus obluçantur. si Iudicium fuerit erroris expers, facile ac illico voluntas componet affectus, neque inordinate falsa mundi bona complectetur, quando quidem à Iudicio discet, non esse vera bona, & non soleat bonum complecti alia ratione, quàm eâ, quâ Iudicium illud illi proponit. Id superest, vt memoria illius perpetuo recorderetur, neque capi se patiatur ijs fallacijs, quas sensus à rebus obiectis perperam hauriunt.

Hæc

Hæc fixa rataque tibi fit Veritas : tantidem esse res vniuersas , quantum tibi ad finem tuum assequendum conducunt; & quidquid in contrarium tibi occurrat , habe eo loco & ludibrio , quo soles inepta famæ mendacia.

CONSIDERATIO PRIMA

hodie instituenda.

De statu vitæ, aut Officio, quo quis fungitur.

1. **P**ostquam te stiteris Diuinæ præsentia, imploraverisque gratiam utiliter instituendi hanc considerationem. Adora Dei providentiam, quæ tam varios status & Officia, tum in Ecclesia tum in sæculo disposuit, eaque singulis pro arbitrio suo dispertitur.

2. Vide quis tuus sit status , quo eum pacto adieris , an cum fraude , perversaque intentione, an potius ex aliquo affectu naturali, aut humanis rationibus , quàm propter Deum, & ex intuitu eius voluntatis, dispositionisque?

3. Si quid mali admissum est, eiura ; si defuit intentio purior defæcatorque, eam nunc elice, & velut iam primùm ingredereris, contestare , te non alio fine illic manere velle

C

ni si

nisi quod credas id placitum Deo acceptum
que.

3. Profitere, te viuere tuâ contentum con-
ditione, eò quòd Deus illic te collocauerit
abdicato omni tuorum commodorum in-
tuitu, sine vlla in illos, qui te præuertunt, in-
uidia, & sine arrogantia in eos, quos tu præ-
cedis.

5. Certus esto plurimum referre ad ope-
randam salutem tuam, vt in statu tuo sis fide-
lis, & fidelitatem in eo consistere, vt in eo te
geras sollicitè, vt qui illum à Deo accepisti
& cui tu rationem aliquando redditurus es
seuerissimam rerum etiam minimarum in eis
admissarum.

6. Ne putes discrimen vllum intercedere
inter negotia tuo statui propria, & negotium
salutis tuæ aut perfectionis; nunquam enim
melius operaberis salutem tuam, neque plu-
perfectionis acquies, quàm si rectè defungar-
is officij tui partibus, modò eas expleas intui-
tu Diuinæ voluntatis, à qua hæc agenda tibi
commissa sunt. Et verò nunquam melius ex-
plebis partes officij tui, quàm si nihil aliud in
spectes, præter Dei obsequium, & tuam per-
fectionem.

7. Nunquam mali aliquid committendum
est, sed semper bona; at quia varia sunt genera
bonorum, vide quæ sint propria tuo statui
quomodo in ijs te geras, vnde vitia & defe-
ctus, & quæ sint eorum remedia.

8. Qua

8. Qua intentione & libertate interiori tuis negotijs incumbis? quo pacto eadem vnīs intentionibus atque actionibus Iesu Christi?

9. Qua ratione versaris cum hominibus, cum quibus tibi negotium est, siue superiores sint, siue æquales, siue inferiores? punctum hoc patet quam latissimè.

10. Si sint regulæ aut ordinationes officij tui, quomodò eas obseruas? percurrere modò obiter, sed ne omitte eas attentius legere per hæc Exercitia.

11. Qua es animi moderatione in varietate casuum, euentorumque?

12. Nostine ex necessitate facere virtutem, lubenter velut à manu Dei acceptando, quid quid velis nolis, tibi sufferendum est?

13. Adhibésne in Casibus prudentiam, vt agnoscas quòd in tua situm sit potestate, quid non, vt in eo agas efficaciter, & hoc æquo animo patiaris?

14. An non potiùs naturæ ductum sequaris in agendis rebus, quàm rationem & Dei instinctum?

15. Quando agitur de emolumento tuo, quo modo mentem ab illo abstrahis?

16. Qua parte fragilior es, an à nimio ardore & impetu, an à nimia ignauia?

17. Non occupas te sic Exercitijs à professione tua alienis, vt tuo muneri nequeas commodè satisfacere?

18. Non ambis officium aliquod honoratius, fastidians tuum? res ista plena periculi est.

19. Sic expende bona malaque, quæ committere in statu tuo potes.

20. Deprecare mala, quæ agnoveris; propone emendationem, & constans exercitium bonorum, quæ tibi facienda esse animaduertis: Tandem concludere, Deum obtestando ut gratiam tibi largiatur, quâ melius satisfacias diuinis decretis consiliisque, propter quæ te ad hunc statum euocauit.

LECTIONES.

Ex scriptura sacra cap. 1. Ecclesiastæ, & finis cap. 16. in S. Matthæo.

Ex libello Exercitiorum. Annotationes principio positæ, deinde Examen particulare, & additiones ad finem primæ septimanæ.

Ex Thoma de Kempis cap. 1. & 3. l. 1. d. imitatione.

SECVN